

52  
 rit Victoriæ gratulatio, quo gravior erat metus, tristiorque clades fuisset. Mancinii, & Maccii sententia egregie confirmatur ex eo, quod narrat Hadrianus Negufantius J. C. Fanensis in Sylva Respons. & Practic. Disput. post Quæst. CCCXXXIX. ait itaque: *His temporibus in Agro Fanensi, ubi olim erat Templum Divi Mauri, inventus est lapis marmoreus, seu stylobates quadratus, altitudinis septem pedum, & ultra, mira venustatis cum Coronâ Civica, Trophæis, & aliis insigniis in eo sculptis, quem olim Respublica Fanensis erexit AETERNÆ memoriæ Aureliani Imp. invictissimi ob partam Victoriâ contra Dacos in prælio illo memorabili inter Fanum Fortune, & Metaurum, de quo meminit Vopiscus in ejus vitâ, & Sext. Aurelius Victor in Epitome. Sed, proh dolor! diebus proximis, ut audio fuit in plures partes discissus &c.*

AETERNÆ Jure ac merito AETERNAM appellarunt Pisarenfes Aureliani Victoriâ, quæ eos a barbarico terrore, a vastitate, a rapinis, a cædibus liberaverat, & fufis, deletisque ad internecionem Barbaris æternam pacem pepererat. AETERNÂ quoque hæc Aureliani Victoriâ dicebatur in Inscriptione Fanensi, quam iisdem fere verbis exaratam fuisse, ac nostra Pisarenfis, laudatus Negufantius innuere videtur. Cæterum Victoriæ Principum etsi minoris fortasse momenti, illo præsertim ævo AETERNÆ indecorâ adulatione non semel dictæ sunt, ut numismata Gallieni, Maxentii, & Licinii fidem faciunt. Antiquior tamen Inscriptio VICTORIÆ AETERNÆ aream ab Hadriano Aug. restitutam memorat apud Gudium pap. LXI. 5.

P. P. M. I. R; *Publice posuit merito jure.* Ultimum verbum IVRE minoribus literis inculptum oculos omnium adhuc effugit. Porro non insolens est in vetustis lapidibus mos ille scribendi literis superimpositis.

X X I I I. X X I V.

**D**Uæ hæc Inscriptiones existant in eadem Columellâ Anno D. MDCLXII. Fanum versus effossâ, quæ olim ad D. Francisci de Paulla prostabat, nunc PP. illius Cænobii munere apud me domi servatur. Prima Constantium Constantini Magni F. laudat: altera Valentinianum, & Valentem Augg., ex eo fortasse, quod ii omnes Imperatores viam Flaminiam vetustate conlapsam restituerint, vel milliarios lapides reponendo curaverint.  
 B.R.P.N.